

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

PII

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE XII


LITTERAE DECRETALES

QUIBUS

BEATAE MARIAE DOMINICAE MAZZARELLO

CONFUNDATRICI INSTITUTI FILIARUM MARIAE AUXILIATRICIS

SANCTORUM HONORES DECERNUNTUR



TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

MDCCCCLII

LITTERAE DECRETALES

QUIBUS

BEATAE MARIAE DOMINICAE MAZZARELLO

CONFUNDATRICI INSTITUTI FILIARUM MARIAE AUXILIATRICIS

SANCTORUM HONORES DECERNUNTUR

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Dei Providentis ea est ratio, ut ad maxima quaeque gerenda ac perficienda « infirma mundi » eligat (*I Cor.*, 1, 27); idque sane, quemadmodum apud Apostolum legimus, ut in his « sempiterna quoque eius virtus et divinitas » ostendatur (*Rom.*, 1, 20). At mysterium illud, « quod absconditum fuit a saeculis et generationibus » (*Col.*, 1, 26) ita humanam intellegentiam superat, ut, nisi manifestum fuisset sanctis, « quibus voluit Deus notas facere divitias gloriae sacramenti huius in gentibus, quod est Christus », nullo modo homini ad eam sapientiam contendere licuisset. Quodsi, suis diffusi viribus, at Christi gratia fulti, omne studium ad opera Dei probe perficienda contulerint homines, ad eam profecto immortalitatem, post brevissimum huius vitae cursum pervenient, ubi stabili certaue felicitate cum Iesu ipso fruentur.

Ad quam sane vitae aeternae perpetuam beatitatem, ubi Caelitum est sedes, pervenisse praedicamus lectissimam atque inclitam virginem Mariam Dominicam Mazzarello, cui quidem supremos Sanctorum honores sollemni ritu hodie decrevimus.

Maria Dominica in obscuro oppidulo Aquensis dioecesis, cui nomen Mornese, in Pedemontana terra, parentibus nata est humilibus, Iosepho et Maria Magdalena Calcagno, die nono mensis Maii anno millesimo

octingentesimo tricesimo septimo, liberorum, quos septem habituri erant, prima.

Quo die nata est, eodem sacro abluta est lavacro. Quod quidem quam sapienter actum sit quantumque optandum ut nostris quoque temporibus fiat nemo est quin videat.

Neque hic parentum eius morum innocentiam silentio praetereundam putamus : etenim christiana fide ac pietate penitus imbuti, se liberis magistros ostenderunt virtutis, aequitatis, continentiae, modestiae ; ac tam praeclare suis officiis muneribusque sunt functi, ut in filiorum mentibus evangelica praecepta inserere nullo non tempore studuerint.

Dici vix potest quantas haec puerorum erudiendorum ratio habuerit utilitates et quam multos fructus tulerit, uberes quidem et praestantes. Nihil igitur mirum si tantis instructa domesticis virtutum exemplis, tam mirabiles progressus in christiana professione vel a prima aetatula Maria Dominica fecit.

Quae eximiae animi dotes in puella inerant, eae ad maximum splendorem, Dominici Pestarino Sacerdotis assidua complurium annorum opera, evectae fuerunt ; ita quidem ut undecimum agens annum, non modo inter aequales, verum etiam inter cives, exemplar christianae vitae haberetur.

Cumque iam esset puella religiosis doctrinis satis erudita, licet in tam tenera aetate, illis temporibus, hoc esset inusitatum, sacrae Mensae fuit primum particeps facta, atque haud multo postea almo chrismate inuncta.

Quibus supernis roborata auxiliis vel constantius fortiusque perrexit virtutum iter, atque erga Divinum Redemptorem, praecipue sub eucharisticis delitescens speciebus, vehementiore coepit ardere pietate.

Etenim saepissime, summo mane, omnibus tempestatum frigorumque incommodis posthabitis, Angelorum pane enutriebatur sacroque piissime intererat.

Duodevicesimum aetatis annum nondum attigerat cum, fragilem rerum humanarum mobilitatem atque inconstantiam pertaesa, et quaecumque apud caecos mortales prima putantur, pro nihilo ducens, magnanima quadam alacritate pia « Societati Puellarum ab Immaculata Conceptione » nomen dedit, seque totam dicavit Deiparae Virgini, cui fuerat a prima aetate addictissima ; neque facile dictu est quantum id ei fuerit adiumento ad perfectioris usque vitae genus amplectendum.

Sed ut erat in ceteros ardenti studio inflammata, non verbis modo, sed re etiam et actione operam navabat suam ut omnes, puellas praesertim, ad pietatem erga Deum magis ac magis incenderet atque excitaret

et vel a periculis averteret, vel ad bonam frugem adduceret. Quo in exsequendo consilio a primis exordiis praeduras incurrit difficultates; at tandem, anno millesimo octingentesimo sexagesimo quinto, cum nonnullis aliis puellis vitam communem in parva domo, non longe a curialibus aedibus, quam pius sacerdos Dominicus Pestarino sumptu suo instruxerat, agere instituit. Quibus deinde puellis maximo fuit commodo quod S. Ioannes Bosco, anno circiter millesimo octingentesimo sexagesimo nono, novae vitae ducendae rationem dedit. Mirum quanta alacritate Maria Dominica in recenti Instituto virtutibus omnibus studuerit! Ita scilicet ut in cotidiano vitae cursu eius animi ornamenta magis magisque splenderent, ac certa iam tum excellentium operum signa, quae brevi erat actura, elucerent. In primis vero, ut aequum erat, proximorum ad aeterna iuvandorum cupiditate ardebat flagrantissima; qua incitata Maria Dominica societatem puellis educandis, Ioanne Bosco suasore, condere decrevit. Cuius propositi cum certior factus fuisset Pius IX, Decessor Noster, illud non modo probavit, sed etiam ut ad effectum adduceretur hortatus est. Igitur Ioannes Bosco omnes rupit moras, atque, ad rem inito consilio cum Dominico Pestarino et Aquensi Episcopo, primas instituendae societatis alumnas ex iisdem Puellis ascisci voluit ab Immaculata Conceptione. Multis itaque effusis precibus habitisque deliberationibus die quinto mensis Augusti anno millesimo octingentesimo septuagesimo secundo, tandem Puellae ab Immaculata Conceptione novae sodalitatis vestibis indutae sunt, atque astantibus Aquensi Episcopo, Ioanne Bosco ac Dominico Pestarino, Maria Dominica Mazzarello et nonnullae aliae religiosa vota nuncuparunt. Haec plane humillima primordia fuerunt Instituti illius, quod hodie latissime per omnem christianum terrarum orbem tam diffusum videmus.

Ita non sine divino quodam Numinis instinctu evenisse censendum est ut, quemadmodum S. Ioannes Bosco in puerorum educationem sapienter intensas intendit curas, non secus mulieres, virtutibus omnibus praeditae, in puellas etiam educandas operam impenderent assiduam.

Ut vero hoc Institutum, cui « Filiarum a Maria Auxiliatrice » nomen S. Ioannes Bosco indiderat, optatum acciperet incrementum, eius regimen Mariae Dominicae in primo Vicaria potestate est concreditum, ac biennio post, die decimo quinto mensis Iunii anno millesimo octingentesimo septuagesimo quarto, communi omnium Sororum suffragio, non sine magno Sancti Ioannis gaudio, suprema totius Instituti eadem moderatrix electa est.

Sed iam inde ab incunabulis, ut est in operibus Deo auctore susceptis usitatum, sodalitas graves nacta est difficultates, praesertim ob asper-

rimam rei familiaris penuriam. Quam ob causam multiplicato, brevi temporis cursu, alumnarum numero, non modo vestium, supellectilis, verum etiam ciborum saepe copia defuit; atque vel eo perventum est, ut interdum sine cibo virgines Deo devotae somnum ceperint, ac multos annos panis tantum paucis frustulis mane corpus recrearent.

Sed Maria Dominica nullis territa casibus ac mira animi constantia et fortitudine praedita uni Deo providenti fidens adversa omnia perferebat; nec tamen, licet tam multis premeretur angustiis, eas reiecit quae ut in domum acciperentur petebant ad religiosam vitam amplectendam.

Quin immo tantum abfuit ut difficultatibus, in quas dilapsa erat, eius frangeretur animus, ut potius in iisdem eius gravitas, fides, constantia magis magisque essent perspicuae.

Illud quoque memoria dignissimum est quod in Sororum exemplum agebat; non solum enim sententiarum gravitate et frugiferorum, quibus abundabat, praeceptorum sapientia eas adiuvabat, sed, quod caput est, eas vita atque sanctimonia praegrediebatur omnes.

Inter cetera vero eius documenta ad mores integre informandos idonea, saluberrimum in primis est atque laudandum maxime, quod, S. Ioanne Bosco magistro atque doctore, ad Instituti sui incrementum promovendum egit. Etenim paucis post annis ex quo hoc erat ortum tam late eius fama evolaverat, ut non solum, Episcopis postulantibus, in vicinis dioecesibus id genus sodalitates conderentur, sed etiam trans Alpes atque in plurimis exteris nationibus, quanto cum omnium bono atque commodo difficile est dictu.

Ita factum est ut non diuturno temporis spatio Institutum a Maria Auxiliatrice sive in multis Europae territoriis, quae longum est enumerare, radices egerit, sive in dissitis etiam trans Oceanum oris: in America, in Brasilia, in Argentina, in Africa, in Asia; ubi Deo devotae Virgines christianum nomen mire propagarunt.

Quarum propterea Virginum non paucas videas audaces, patria, parentibus, vitae commodis relictis, longinquas petere regiones, ubi saepe eas immatura et acerba manet mors, nullo emolumento incitatas, hac una spe ductas, ut eorum crescat multitudo qui verum Deum excolant.

Neque putandum est abs se conditi Instituti sollicitudines a vero perfectoque evangelice vivendi genere eam avertisse, cum nihil antiquius ipsi esset, quam ut tam exiguo vitae spatio, virtutum omnium, in quibus sanctitas cernitur, fastigium attingeret.

In primis, ut aequum est, ardenti pietatis studio caelestem Patrem venerabatur, cuius mirae bonitatis effusas in nos divitias omnibus praedicabat. Atque incredibili propterea amore in Christum ferebatur, cuius

cruciatus prae oculis semper habuit, cuiusque Eucharisticum donum a prima aetate ad extremum vitae spiritum propensissimo animo coluit.

Sanctissimam vero ac purissimam Virginem Mariam ut oculos, aut si quid est oculis carius, et diligebat ipsa, et pro viribus contendebat ut aliae etiam Sorores diligerent, saepe eisdem suadens ne quidquam potius haberent quam tantae Matris tutelam. Qui in Deiparam amor ita eius animum perfundebat voluptate ac laetitia, ut in terrenis molestiis et incommodis perferendis allevaret mirifice.

Ex qua incensa erga Deum caritate, ut oportet, gemina manabat in proximos caritas. Quam ob rem Maria Dominica summa omnes benevolentia complectebatur, seque semper Sororum usui totam impendebat, sed praesertim cum eas aegrotantes conspiceret. Quae sane officia tanta benevolentia, tantaque comitate exsequebatur, ut summo illas repleret gaudio.

Sed Dei amor, dummodo se eo quis moveri sinat, ad insignem virtutum omnium formam ducit. Quapropter Maria Dominica praestitit, toto vitae tempore, miro animi candore ac pudicitia, religioseque coluit semper pulcherrimum ac plane divinum virginitatis propositum.

In ea excellens praeterea inerat indolis modestia ac verecundia; ita ut Sancto Ioanni Bosco, qui Instituti regulas praescripserat, quique consiliis et adhortationibus nullo non tempore ei erat auxilio, morem numquam non fideliter gereret.

Sed non modo erga ipsum, tam demisse faciebat, verum etiam in coenobio erga singulas, cum se Sororum omnium minimam existimaret, libensque idcirco humillima quaeque officia in universas conferret.

Invicta denique constantia sive corporis infirmitates sive animi angores patienter sustinebat; et quamvis graviter ipsa aegrotaret, tranquillitatem numquam dimittebat, atque Sorores benigno placidoque semper vultu accipiebat.

Quae omnia tam splendidum eius sanctitatis documentum praebeant, ut liceat asserere inclitam illam virginem, etsi litteris paene rudem, omnium tamen virtutum clarissima specimina edidisse et quaecumque vitae praecepta verbis docuisset, ea omnia in se ipsa expressisse.

Talibus ornatam virtutibus virginem quis miretur si Deus existimaverit, quamquam haud provectae esset aetatis, iam Caelo maturam?

Pleuritico enim morbo correpta, acerbissimos cruciatus, duos amplius menses, aequo animo atque christiana fortitudine pertulit. De morte autem proxima cum esset sollicita, religiosissimam praeparationem adhibuit, extremisque voluit refici sacramentis. Quibus susceptis, placidissime obiit Niciae in Subalpinis, atque ad illam integram ac sempiternam migravit vitam, qua sanctissimus quisque fruitur, die quarto-

decimo mensis Maii, anno millesimo octingentesimo octogesimo primo, aetatis suae quadragesimo quarto.

Quae vivens reverentiam omnium gratamque volutatem erat demerita, omnibus lacrimas moriens excussit. Ab universis ordinibus civium virginis, immortalitate dignissimae, et complorata mors est et vita laudata.

Cuius praeclara gesta nos docent quam intime vocem illam senserit tam frequenter a S. Ioanne Bosco iteratam: « Da mihi animas, cetera tolle »; quam ardentem eam excitaverit exemplum eximii illius ac fortissimi viri, qui recentibus temporibus verbis atque operibus aurea Apostolorum tempora redintegravit in terris; quam alte sibi persuasum habuerit in christiana religione una cognita atque culta salutem populorum contineri.

Sorores a Maria Auxiliatrice totaque civitas Nicia in Subalpinis atque complures ex finitimis pagis ad demortuae corpus visendum convolaverunt. Dataque est opera ut piis exsequiis honestaretur, frequentissima civium multitudine astante; ac deinde in humili urbis sepulcreto, nullo ornatu nulloque monumento condita est.

Sed defunctae virginis splendidius ac perennius monumentum eiusque sanctimoniae clarius indicium est mirum abs se conditi Instituti incrementum. Ad hunc namque annum Domus Filiarum a Maria Auxiliatrice erant numero mille septuaginta septem; Religiosae Sorores ubique terrarum undecim millia septuagintae quadraginta duae; Novitiae mille octoginta una, ut silentio alias classes praetereamus eorum qui ab Instituti Sororibus beneficiis omnis generis afficiuntur, qui profecto ad multa centena milia crescunt.

Neque Dei famulae sanctitas post eius obitum diu latuit, cum non pauci undique gentium eius merito et gratia a Deo in se collata dona praedicarent.

Quo factum est ut de Beatorum Caelitum honoribus ei decernendis causa agitari inciperet. Processus itaque ordinaria auctoritate ab anno millesimo nongentesimo undecimo ad millesimum nongentesimum decimum septimum habiti sunt; quibus et Romam missis, et a S. Rituum Congregatione probatis, Pius XI Decessor Noster, die vicesimo septimo mensis Maii anno millesimo nongentesimo vicesimo quinto introductionis Causae Commissionem sua signavit manu.

Cum ea vero expleta essent, quae canonicae praescribunt leges, de Famulae Dei virtutibus agi coeptum est, quas gradum heroicum attigisse auctoritate sua Pius XI, die tertio mensis Maii anno millesimo nongentesimo trigesimo sexto constare sollemniter pronuntiavit, memo-

rans praesertim lumen animi, consilii, ac singularem quandam rerum agendarum prudentiam, cum mira pectoris magnitudine et christianae humilitatis laude coniunctam. Institutis deinde Processibus Apostolicis de duobus miraculis quae a Deo, Venerabili Maria Dominica Mazzarello deprecante, patrata ferebantur, atque investigationibus probationibusque peractis a S. Rituum Congregatione, Pius XI Decessor Noster, die vicesimo sexto mensis maii anno millesimo nongentesimo duodequadragesimo sollemniter decrevit: « *Constare de instantanea perfectaque sanatione cum Herculinae Mazzarello ab insanabili paralysi infantili spinali acuta in inferioribus artubus, tum Rosae Bellavita a gravissima peritonite tuberculari ascitica* ».

Denique die tricesimo primo mensis Iulii anno millesimo nongentesimo duodequadragesimo, idem Decessor Noster, « *tuto procedi posse ad sollemnem Venerabilis Mariae Mazzarello Beatificationem* » publico decreto declaravit. Quae sacra sollemnia in Basilica Vaticana die vicesimo mensis Novembris anno millesimo nongentesimo duodequadragesimo, omnium ordinum viris ac mulieribus undique gentium aedem stipantibus, suetoque splendido ritu sunt celebrata. Neque multo post, crescentibus in dies prodigiis, quae Servae Dei gratia a Deo patrata dicebantur, ad Apostolicam Sedem undique dari supplices litterae coeptae sunt, quibus postulabatur ut eadem virgo maioribus augeretur honoribus. Quas Nos preces benigne admittentes, causae reassumptionis Decretum, die decimo sexto mensis iulii anno millesimo nongentesimo quadragesimo primo Nostra manu signavimus. Cumque alia duo dicerentur accessisse miracula, apostolici instituti sunt Processus. Primum miraculum in oppidulo cui vulgo nomen « Roppolo Castello », in dioecesi Bugellensi, contigit Sorori Maiorinae Avalue affectae morbo phlogistico suppurativo subacuto recidivante in abdomine, clinice insanabili, quo factum est ut ad extrema adduceretur neque ulla tantis incommodis medicina reperiretur. Quam ob rem cum ad partem corporis maxime dolore affectam Beatae Mariae Dominicae Mazzarello aegrota reliquias apposuisset illamque ut sibi succurreret precibus exorasset, nocte illa, quae fuit ante diem decimum quintum mensis Augusti anno millesimo nongentesimo quadragesimo primo, omnino sanata est.

Periti vero a S. Rituum Congregatione electi una sententia miraculo sanationem obtentam esse dixerunt.

Alterum quoque miraculum habendum est vere perspicuum, quod puellae evenit Carolae Ramponi nephrite acuta cum gravi urhaemia laboranti in pago Castano Primo, in Mediolanensis archidioecesis finibus. Cuius morbus eo gravitatis pervenerat, ut spes salutis iam illi

esset nulla, nisi in Dei benignitate ac potentia, atque paucas tantum vitae horas ei superesse nuntiaret medicus quo utebatur. Effusae sunt preces ad Deum per Beatam Mariam Dominicam Mazzarello et a Filiabus Mariae Auxiliatricis, quae sub puellulae caput beatæ Mariae reliquias collocaverant, et a familia aegrotantis tota. Ac sub vespere diei vicesimi quarti mensis Novembris anno millesimo nongentesimo quadragésimo quinto repente, præter omnium expectationem, puella omnino sanata est, ipsis medicis mirantibus, qui hanc sanationem miraculo tribuerunt.

De utroque miraculo medicum Collegium, die decimo mensis Octobris anno millesimo nongentesimo undequingésimo, disceptavit suamque de utroque sententiam edidit.

De miris his sanationibus ex more in suetis Sacrae Rituum Congregationis comitiis, ac postremo, coram Nobis die decimo tertio mensis Martii hoc ipso anno disceptatum est: quo in generali conventu, dilecto Filio Nostro Alexandro Cardinale Verde Causae Ponente seu Relatore, dubium proponente: « An et de quibus miraculis post indultam eidem Beatæ ab Apostolica Sede venerationem constet in casu et ad effectum, de quo agitur », omnes qui adfuerunt tum Patres Cardinales cum Praelati officiales Consultoresque sententiis suis affirmaverunt.

Nos vero, quæ rei magnitudo est, sententiam Nostram aperire cunctati sumus, ut, effusis precibus, a Sancto Dei Spiritu lumen diutius impetremus.

Denique die vicesimo septimo mensis Martii hoc anno, tertia feria post Paschatis Domini festum, accitis S. R. E. Cardinalibus Clemente Micara, Episcopo Veliterno ac Sacrae Rituum Congregationis Pro-Praefecto, et Alexandro Verde, Causae Ponente seu Relatore, necnon venerabili Fratre Alphonso Carinci, Archiepiscopo Seleuciensi in Isauria ac S. Rituum Congregationis a Secretis, et Salvatore Natucci, Fidei Generali Promotore, postquam sanctissimam Hostiam immolavimus, sollemniter ediximus: « *Constare de instantanea perfectaque sanatione cum Sororis Maiorinae Avaloris a morbo phlogistico suppurativo subacuto recidivante in abdomine, clinice insanabili, tum puellæ Carolæ Ramponi a nephrite acuta cum gravi uraemia* ».

Unum igitur dubium adhuc supererat ut ad felicem exitum hæc Causa perveniret, an, scilicet, duobus miraculis rite probatis, ad Sanctorum Caelitum honores tuto provehi posset Beata Maria Dominica Mazzarello. Quod quidem dubium, coram Nobis in generali conventu, die tertio mensis Aprilis hoc ipso anno habito, a Cardinale Ponente propositum est, omnesque qui aderant Patres Cardinales, Praelati Offi-

ciales et Consultores, cunctis sententiis id affirmarunt. Nos vero rem diutius perpendere cupientes mentem Nostram aperire distulimus, omnesque qui aderant hortati sumus ut supplices Deo preces effunderent, ut maius lumen Nobis impertiret.

Re igitur mature perpensa, die primo mensis Maii, hoc anno, Patribus Cardinalibus, quos memoravimus, apud Nos convocatis et Sacri Consilii Ritibus tuendis viro a Secretis atque Fidei Promotore Generali, sacris Eucharisticis peractis, hanc tulimus sententiam : « *Tuto procedi posse ad sollemnem beatae Mariae Dominicae Mazzarello Canonizationem* ».

Decessorum itaque Nostrorum exempla secuti, consueta Consistoria habenda statuimus. *Secretum* coactum est die vicesimo octavo mensis Maii hoc anno, in eoque venerabilis Frater Clemens Cardinalis Micara, S. Rituum Congregationis Pro-Praefectus, sermonem habuit de vita et miraculis Beatorum Confessorum Antonii Mariae Gianelli, Episcopi Bobiensis, Legiferi Patris Sororum Beatae Mariae Virginis ab Horto ; Francisci Xaverii Mariae Bianchi, sacerdotis e Congregatione Clericorum Regularium Sancti Pauli ; Ignatii a Laconi, laici professi Ordinis Fratrum Minorum Capulatorum, nec non beatarum Virginum Aemiliae de Vialar, ex Instituto Sororum a Sancto Ioseph ab Apparitione ; Mariae Dominicae Mazzarello, alterius Legiferae Matris Instituti a Maria Auxiliatrice, ac recensuit acta, quae in Causis Beatificationis et Canonizationis eorundem Beatorum ac Beatorum S. Rituum Congregatio probaverat. Qua relatione expleta, singuli Patres Cardinales suam aperuerunt sententiam.

Eodem die, Consistorio Secreto absoluto, statim habitum est Consistorium *publicum*, in quo dilecti Filii Consistorialis Aulae Advocati, ante solium Nostrum stantes, de illorum, quos modo diximus, Beatorum vita, virtutibus et miraculis breviter singillatim retulerunt et a Nobis postularunt ut Beatis illis Sanctorum imponeremus coronam. Pro Beata autem Maria Dominica Mazzarello dilectus filius Aloisius Philippus Re, alter ex Advocatis illis, eleganter peroravit. Nos vero, ut normae a maioribus praescriptae servarentur, per dilectum Filium Antonium Bacci, Apostolicarum Litterarum ad Principes a Secretis, respondimus non ante iudicium Nostrum laturos quam in Consistorio *semi-publico* Purpuratos Patres iterum, atque venerabiles Fratres Patriarchas, Archiepiscopos et Episcopos quotquot in Urbem adfuturi essent, sententiam rogaverimus. Quod quidem Consistorium hoc eodem anno die quarto mensis Iunii in consueta Vaticani Palatii aula coactum est,

ibique Nos, brevi prius sermone astantes Cardinales et sacrorum Antistites allocuti, ab ipsis exquisivimus ut, re plene cognita, tum ex iis quae gesta fuerant in Consistorio publico, tum ex actis S. Rituum Congregationis, quorum exempla unicuique ipsorum mandato Nostro iam tradita fuerant, quid de propositis Causis sentirent Nobis ex ordine significare vellent. Omnium suffragiis exceptis, laeto animo didicimus concordi eos sententia Beatos Caelites, de quibus agebatur, plane dignos aestimare qui sanctitatis infula decorarentur. De quibus omnibus ut acta iuridica forma conficerent astantibus Protonotariis Apostolicis mandavimus.

Ad uniuscuiusque igitur Beatorum illorum Canonizationem in Vaticana Basilica celebrandam diem diximus. Beatis autem Virginibus Aemiliae de Vialar et Mariae Dominicae Mazzarello Sanctitatis diademate simul redimiendis hunc statuimus diem, vicesimum quartum nempe Iunii mensis. Cum itaque hic a Nobis praefinitus dies illuxit, omnes regularis et saecularis Cleri ordines, Romanae Curiae Praesules et Officiales, non pauci Abbates, Episcopi, Archiepiscopi, Patriarchae atque amplissimum Patrum Cardinalium Collegium in Petrianam Basilicam, magnifice exornatam et innumera fidelium multitudine, quos inter plurimae Sorores e Congregationibus a Beatis illis conditis, iam stipatam, convenerunt. Quibus omnibus pia supplicatione praeceuntibus, ac maiores Litanias recitantibus et hymnum *Ave Maris Stella* praecinentibus, eandem Basilicam, universo clero et populo plaudente, Nos ipsi ingressi sumus, atque brevi ad altare maximum effusa prece, ad Cathedram Nostram perreximus. Tunc, praestita prius Nobis, ut de more, ab astantibus Cardinalibus oboedientia, venerabilis, quem supra diximus, Frater Noster Clemens Cardinalis Micara, Episcopus Veliternus, utriusque Beatae Canonizationi procurandae praepositus, perorante dilecto Filio Aloisio Philippo Re, Consistorialis Aulae Advocato, *instante*, *instantius* et *instantissime* postulavit ut Beatis Aemiliae de Vialar et Mariae Dominicae Mazzarello Sanctorum honores decerneremus. Cui peroranti Advocato Nos per dilectum, quem iam memoravimus, Filium Antonium Bacci respondimus Nos iam in eo esse ut duas illas sacras Virgines sanctitatis infula decoraremus, sed antea Divini Paracliti lumen, hymno *Veni Creator*, esse implorandum. Quo hymno expleto, Nos in cathedra sedentes, uti universae Christi Ecclesiae Magister, sollemniter ediximus: *Ad honorem Sanctae et individuae Trinitatis, ad exaltationem Fidei Catholicae et Christianae Religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implor-*

rata, ac de venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum in Urbe existentium consilio, Beatam Aemiliam de Vialar et Beatam Mariam Dominicam Mazzarello, Virgines, Sanctas esse decernimus et definimus ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes ab Ecclesia Universali illarum memoriam quolibet anno, die earum natali, Aemiliae nempe die vicesima quarta Augusti, et Mariae Dominicae die decima quarta Maii, inter Sanctas Virgines non Martyres pia devotione recolere. In nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Qua Canonizationis formula a Nobis prolata, precibus annuentes eiusdem Cardinalis Micara, per eundem Advocatum Consistorialem Nobis adhibitis, hasce Decretales sub plumbo Litteras confici expediturque iussimus; astantibus vero Protonotariis Apostolicis ut de Canonizatione hac fide digna conficerent instrumenta mandavimus.

Gratias mox Omnipotenti Deo egimus hymnum *Te Deum laudamus* una cum confertissima multitudo canentes, ac novensilium Sanctorum patrocinium primi invocavimus, deque illis brevi homilia teximus elogium, animo gestientes quod per humilitatem Nostram Deus harum Caelitum gloriam manifestam facere dignatus fuerit.

Apostolicam denique benedictionem et plenariam admissorum indulgentiam astantibus peramanter impertivimus, atque, pontificali sacro ad aram maximam celebrato, Canonizationis ritui finem imposuimus.

Quibus rite peractis, id unum denique restat, ut omnes hortemur, in primis vero Filias a Maria Auxiliatrice, quarum quidem Maria Dominica Mazzarello, altarium honoribus decorata, prima Antistes quasque auctor fuit, ut vehementer laetentur, quod in ea quae latius ubique funditur scelerum colluvione rerumque omnium perturbatione, atque in hoc temporum motu in quo versamur, patronam atque tutricem habeant amplissimam. Ab ea discant homines: « unam veramque scientiam », quae sane, ut ea scripsit, « in eo est collocata, ut nos ipsos sanctos reddamus ».

Quae quidem sanctitatis celsitudo, pura atque serena, civilium et christianorum morum fons est atque mater, non sane comparanda speciosae illi atque fictae, quae nihil omnino confert ad aequos et sanctos fovendos promovendosque mores.

Evangelicis profecto exemplis, quae in hac praeclara virgine sumus admirati, semper haerentes, aliquando tandem, omni peccati sorde abiecta, digni erimus qui aeterni regni et gloriae participes efficiamur.

Omnibus itaque quae inspicienda erant bene perspectis, certa scientia et Apostolicae auctoritatis Nostrae plenitudine, omnia et singula


praedicta confirmamus, roboramus, atque iterum statuimus, decernimus universaeque Ecclesiae Catholicae denuntiamus.

Mandamus insuper ut harum Litterarum transumptis, vel excerptis, etiam impressis, manu tamen Notarii Apostolici subscriptis eiusque sigillo munitis eadem prorsus tribuatur fides, quae iisdem hisce haberetur, si exhibitae vel ostensae essent.

Si quis vero has Litteras definitionis, decreti, mandati et volutantis Nostrae infringere, vel eis temerario ausu contraire aut attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursum.

Datum Romae apud S. Petrum, die vicesimo quarto mensis Iunii, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo primo, Pontificatus Nostri tertio decimo.

Ego PIUS, Catholicae Ecclesiae Episcopus.



✠ Ego EUGENIUS Episcopus Ostiensis ac Portuensis et S. Rufinae Cardinalis TISSERANT, Sacri Collegii Decanus.

✠ Ego CLEMENS Episcopus Veliternus Cardinalis MICARA.

✠ Ego IOSEPH Episcopus Albanensis Cardinalis PIZZARDO.

✠ Ego BENEDICTUS Episcopus Praenestinus Cardinalis ALOISI MASELLA.

✠ Ego ADEODATUS IOANNES Episcopus Sabinensis et Mandelensis Cardinalis PIAZZA.

✠ Ego FRIDERICUS Episcopus Tusculanus Cardinalis TEDESCHINI, Datarius.

Ego ALEXANDER titulo S. Mariae in Cosmedin Presbyter Cardinalis VERDE.

Ego PETRUS titulo S. Crucis in Hierusalem Presbyter Cardinalis FUMASONI BIONDI.

Ego DOMINICUS titulo S. Apollinaris Presbyter Cardinalis JORIO.

Ego MAXIMUS titulo S. Mariae in Porticu Presbyter Cardinalis MASSIMI.

Ego NICOLAUS S. Nicolai in Carcere Tulliano Protodiaconus Cardinalis CANALI, Paenitentiarius Maior.

Ego IOANNES S. Georgii in Velo Aureo Diaconus Cardinalis MERCATI.

Ego IOSEPH S. Eustachii Diaconus Cardinalis BRUNO.

Pro S. R. E. Cancellario

✠ EUGENIUS Card. TISSERANT

S. Collegii Decanus

✠ CLEMENS Card. MICARA

S. Rituum Congr. Pro-Praefectus

† A. Carinci, Archiep. tit. Seleuc. in Is., *Decanus Proton. Apost.*
Bernardus De Felicis, *Proton. Apost.*

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXXII, n. 53.

